

tura postulat. At hodie ipse Deus, licet hostes sibi infensissimos jure puniendos sciret, non potuit tamen non iis condolere et collacrymari. Quo exemplo quid efficacius nobis exhibere poterat, ad commiserationem docendam? Homo igitur non sit, qui afflicto non condolet? Non dico amico tantum, sed et inimico. Hoc enim et David fecit, qui mortem Saulis, inimici maximi, acerbè deploravit. Hoc ipse Deus fecit. Quid ergo dicemus de illis, qui de malis, miseriis, et peccatis proximi sui, sive amici, sive inimici gaudent, rident, ea passim aliis cum applausu narrant et dilatant? Quid diceremus alicui, qui in littore stans, videns aliquos naufragium facere et perire, non modo non juvat, sed insuper ridet, alios ad spectandum advocat? Lætatur? Id nimirum, quod Daniel dixit falsis Susannæ accusatoribus: (Dan. XIII.) *Semen Chanaan et non Juda*, quia Chanaan ob patris sui denudationem lætabatur et ridebat, eamque aliis ostendebat, Judas contra compatiebatur fratri suo Joseph, et procuravit, ut extraheretur de cisterna, ut saltem venditus viveret, Gen. XXXVIII. S. Job talibus dicebat, c. XIX. *Quare persequimini me sicut Deus, et carnibus meis saturamini?* Videbat enim ipse, quod solus Deus persequi hominem peccatorem sine commiseratione posset; siquidem ipse solus est sine peccato et prorsum impeccabilis: ac proinde sine compassione peccatorem persequi, et in ejus exitio lætari potest. Sed, pace tua, Job, erras vir sancte: nam Deus hodie pereuntibus compatitur et collacrymatur, non itaque hostes tui persequuntur te sicut Deus. Quare ergo dicemus: *Quare persequimini me sicut diabolus?* Ille enim est, qui in perditione malorum lætatur, applaudit, eos in æternum ridet et confundit. Illi in peccatoris interitu et damnatione dicunt: *Euge, euge*, Psal. LXIX. igitur *semen Chanaan*, semen diaboli sunt, qui de malis proximi lætantur: non semen Juda, id est, Christi et Davidis, qui inimicorum miseriis collacrymabantur. Vidimus hactenus pretiosum esse vinum, Christi lacrymas: *Venite igitur amici, et bibite, et inebriamini charissimi.*

## CONCIO IV.

DEFLENDAM FUISSE JERUSALEM ET ESSE PECCATOREM, CAUSE PLURBS.

I. Quia vidit condemnatam Jerusalem. — II. Quia Jerosolymitani nihil simile videbant. — III. Quia curationem respuebant. — IV. Quia insuper gaudebant. — V. Quia gaudium illorum brevissimum erat. — VI. Quia hæc omnia dilectæ olim civitati eventura erant.

## THEMA.

*Videns civitatem flevit super illam.* Luc. XIX.

Neminem nostrum latet, viros dignitate et eruditione claros non ita facile ad risum et fletum permoveri, publice præsertim. Unde Plato, de rep. dial. III. ait, lacrymas a viris claris auferendas esse, et mulieribus tantum tribuendas. Quid igitur est, quod in hodierno evangelio Dei Filius sapientia divina, flere super Jerusalem in magna hominum frequentia incipit, et adeo quidem, ut fletus et singultus vocem intercludant, et sententiam abrumpant, ut verba illa indicant: *Quia si cognovisses et tu! Et quidem in hac die tua, etc.* Si homo duntaxat fuisset Christus, facile daremus fieri potuisse, ut humani aliquid passus in lacrymas solveretur, cum eæ nobis invitæ sæpe suboriantur. Nunc autem et Deus erat, qui humanas passiones in manu sua tenebat, ut, nisi eo volente, prodere se non possent. Quibus igitur machinis expugnari tandem potuit Christi cor, ut posthabita dignitate sua in oculis multorum, lacrymis laxaret habenas? An putatis, auditores, lapides hoc potuisse, muros et parietes urbis Jerosolymæ, eo quod ipse dicat: *Non relinquent in te lapidem super lapidem?* Num templum Salomonis? Num palatia? Num hortos, quorum destructionem prævidebat et prædicebat? Non sane: numquid enim de lapidibus cura est Deo, si teste apostolo, nec de bobus est? Hominum igitur, non lapidum plangebatur ruinam. Atque ut S. Gregorii verbis utar, hom. XXXIX. in evangel. « Hoc semel exit, cum perituram civitatem esse nuntiavit. Hoc quotidie redemptor noster per electos suos agere nullatenus cessat, cum quosdam ex bona vita ad mores reprobos pervenisse considerat. Plangit enim eos, qui nesciunt, cur plangantur qui juxta Salomonis verba: Lætantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis. Qui si damnationem suam, quæ eis imminet, agnovissent, semetipsos cum lacrymis electorum plangerent. » Hæc Greg. Sed ne aliquis forte cogitet, causam hanc sufficientem non fuisse, cur Dominus Jerosolymæ et peccatorum omnium

ruinam deploraret, ostendemus fuisse plusquam sufficientem.

I. Quia Christus vidit in secreto Dei judicio dictatam et scriptam esse sententiam exterminationis et damnationis super Jerosolymam, adeoque paulo post advocandos esse carnifices ejus, Titum et Vespasianum, et tandem infernales quoque dæmones. Descendebat Dominus de monte Oliveti Jerosolymam, cum videns civitatem, fletet super eam, unde mirum non est, si in alto constitutus viderit aliquid, quod Jerosolyma in valle non videbat. Sic enim, qui in monte est, videt aliquando tempestatem advenientem a longe horribilem, quam non videt is, qui in valle est. Christus eo tempore versabatur in consilio deitatis altissimo, et videbat tempestatem procellosam, venturam super Jerusalem, infallibilis prognosticus; proinde non mirum, si tam flebilis eam describat verbis dicens: *Si cognovisses et tu.* Accidit aliquando ut rex quispiam a servo offensus statuatur et jure se illum igni exusturum: filius regis, qui forte hoc audivit, valde contristatur, præsertim si servum illum dilexit; nec potest præ dolore, vel certe non sine lacrymis id servo denuntiare; sed flens suadet illi fugam, adeoque cum lacrymis rogat ut fuga sibi consulat. Ita factum legimus, I. Reg. XX. ubi Saul Davidem morti adjudicaverat et jamjam occidendum adduci præceperat. Audivit hoc Jonathas, qui diligebat Davidem, quod videlicet definitum esset a Patre suo ut interficeretur David. Contristatus ergo, cum lacrymis id Davidi significavit et fugam suasit. Ad eundem modum Christus videns a Patre suo definitum esse ut vastaretur et gehennæ traderetur Jerosolyma, cujus amore ille allectus de cælo ad eam descenderat: quomodo non contristari, quomodo sine lacrymis hoc Jerosolymæ denuntiare poterat? Vidit Dominus duos illos ursos, Titum et Vespasianum de longe accurrentes e saltu, ad nequam illos pueros Elisæo (sibi scilicet) illudentes et dicentes: *Crucifigatur, dilacerandos*, IV. Reg. II. vidit eo ipso in loco, quo civitatem deplorabat, Vespasianum castra sua positurum, ad exterminandam urbem: vidit jam tunc cruces præparari innumeras perfidis Judæis, quorum quingenti singulis diebus circa civitatem in oculis Titi crucifigendi essent, ita ut spatium crucibus, et corporibus cruces defuturæ essent: vidit jam tunc, ingravescentem in urbe famem, qua urgente alii ultro excurrentes Romanis se dedituri essent; alii proprios filios coecturi et comesturi; alii viso cibo præ gaudio morituri: vidit alios innumeros, qui aurum deglutissent fuga absportandum, a Romanis

captivos et auri obtinendi gratia secandos atque exenterandos: vidit vallo et muro urbem undique claudendam, ut nemini prorsus exitus pateret: vidit eam et filios ejus ad terram prosternendos et projectorum mortuorum cadaveribus omnia fore plena: vidit comprehendendorum numerum fore nonaginta septem millia, mortuorum vero undecies centena millia: vidit et captivos e nobilium numero quidem decem, ex ignobilium vero triginta uno venditum in denario: vidit templum speciosissimum incendendum et in cinerem redigendum, urbem totam diruendam: vidit denique, post hæc omnia supplicia, supplicium æternum, omnium horribilissimum, plerosque eorum æternis ignibus tradendos esse: vidit parari jam et accendi ipsis fornacem plusquam Babylonicam. Hæc igitur tot et tanta non deploranda sunt? Audite plorantem hæc ipsa Jeremiam, cap. XIV. *Deducant oculi mei lacrymam per noctem et diem, et non taceant, quoniam contritione magna contrita est virgo filia populi mei, plaga pessima vehementer.* Jam vero qui nosti o peccator, qui modo securus degis, Christum non videre de te similia? Non vereris, ne et tu aliquando in agone circumderis vallo peccatorum tuorum, et hostibus tartareis? Non metuis futurum, ne et in te lapis a lapide et compago membrorum dissolvatur? Ne in terram prosternaris? Ne viscera tua in lucem protrahantur? Ne captivus ducaris ad gehennam? Quid si et hoc jam hac hora de te videat Christus? Certe videt, nisi respicias.

II. Quia incolæ Jerosolymitani nihil simile videbant aut metuebant. Unde ait: *Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis*, ac propterea magis erant miserandi: sicut qui ardente domo dormit pertinaciter, aut in mediis hostibus. Dum Jonas veheretur in navi: *Facta est tempestas magna et navis periclitabatur conteri.* Unde omnes: *Timuerunt et clamaverunt ad Deum suum, et miserunt vasa, quæ erant in navi, in mare ut alleviaretur ab eis:* et quid inter hæc Jonas? *Descendit ad interiora navis, ait textus, Joan. I. et dormiebat sopore gravi.* Unde gubernator ad eum ait: *Quid tu sopore deprimeris? Surge et invoca Deum tuum.* En miseriam peccatorum. Dum alii omnes de salute sua metuunt, ipsi se ad somnum componunt, cum maxime omnium vigilare deberent: atque ut securius dormiant et minus excitentur, descendunt ad interiora navis, id est, lucem et strepitum fugiunt, somni illecebras, uti tenebras et quietem quærunt, hoc est, nolunt audire disciplinam et correctionem, nec videre iram Dei supra se tonantem: sed ea tantum quærunt, quæ vitiis suis blandiuntur. Ita adamus in

evenit regi Israel Achab, III. Reg. ult. qui volens inire praelium temere, quæsit pseudo-prophetas loquentes sibi placentia, nolens audire prophetam Dei Michæam suis cupiditatibus adversantem et dira præsentem: qui cum plura vellet loqui ad regem advertendum a proposito, jussit eum rex abduci et recludi in carcerem. Sed exitus tandem probavit, quam stulte egerit, quia cecidit in prælio. Simili modo peccator obstinatus, ea solum audire gestit, quæ ipsi blandiuntur: sanam autem doctrinam, syndæresin et increpationes salutares ab oculis removet et incarcerat: donec tandem malo suo experiatur et deploret insaniam suam. Quis non deploret ejusmodi hominem sibi ipsi infensissimum? Dormiebat aliquando Saul in tentorio, persequi volens Davidem: dormiebat, inquam, et hastam in terra fixam ad caput suum reliquerat, I. Reg. XXVI. dormientibus cum ipso, omnibus etiam servis. Interim advenit David, et, si voluisset, propria cum hasta jugulare potuisset. Dormit hoc modo peccator cum omnibus sensibus et potentiis suis, et hastam peccati sui, quo statim jugulari possit, relinquit ad caput suum, nesciens quod omni ex parte insidiantur illi hostes animæ. Videtur mihi incedere peccator quemadmodum illi qui inadvertenter supplicio tollendi sunt. Ducitur enim quibusdam in locis reus a duobus sociis quasi deambulatum in aulam, et tandem in asserem unum; quem norunt ejus comites cessurum et reum in mille gladios acutissimos dejecturum, ut in mille frustra secetur. Asser iste fatalis quid nisi incerta mortis hora? Duo peccatoris, comites sunt, consuetudo peccandi et spes longioris vitæ: qui dum in mortis horam improvidum ducunt, in exitum ducunt.

III. Quia Jerosolymitæ curationem, quam eis offerebat, insani respuebant. Unde ait: *Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Peccare humanæ fragilitatis est; nolle respiscere et sanari diabolicæ perversitatis. Jam vero civitas hæc ægra medicum se visitantem repulit et sanari noluit. Hinc ergo Christi lacrymæ. Quæramus ex matre aliqua, et primo, ponamus ejus filium periculosissime ægrotare charissimum, et matrem omnia tentasse, adeoque substantiam suam profudisse, quam filio selectissima remedia provideret, et medicum e longinquo peritissimum advocaret: si adveniente medico cum pretiosissimis illis pharmacis, videat rebellem filium medicamenta perdere, medicum non admittere, sed repellere, conviciari et ejicere, quomodo non durissime hoc accipiat mater et amare fleat? Hoc attentavit Deus cum Jeroso-

lyma, et attentat cum peccatore etiamnum. Misit ei de cælo medicum, Filium suum, e cujus sanguine pharmaca ei paravit præstantissima, sacramenta videlicet. Quid igitur dicat vel sentiat, videns hæc omnia eum prodigere et in ventum spargere? Idem in parente cernimus, si videat filium suum perverse et flagitiose degere, sociisque pessimis adjungi. Postquam enim correctione sua nihil profecit, videtque filium ad interitum tendere et patibulum, incipit ante ipsum plorare et lamentari, Deum et sanctos testari ut respiscat. Tandem cum advertit filium publicæ potestati traditum et educendum ad supplicium, præ dolore loqui nescit, sed lacrymis ei parentat. Hoc est quod populo suo facit Christus in hodierno evangelio. Legimus Gen. XXI. cum Agar deficiente aqua in solitudine aberraret et videret se jam filium suum infantem sustentare amplius non posse, projecit eum subter unam arborem, et discedens ad jactum sagittæ, sedensque e regione elevavit vocem et flevit, dicens: *Non videbo morientem puerum.* Videre hic mihi videor Christum stantem e regione Jerosolymæ et flentem super eam. Cum enim videret eam abjectam esse et desperatam, dolorem suum testari volens flevit super illam, ac ne videret ejus interitum, prius e terra discessit, et primum post annos triginta octo ejus permisit excidium.

IV. Quia videbat eos insuper gaudere et cum jubilo sibi obviare. Unde ait: *Et quidem in hac die, quæ ad pacem tibi.* Ut enim phreneticus eo magis morti vicinus et miserandus est, quo magis ridet et insanit, ita et peccator cum exultat in rebus pessimis. Jeremias, c. VIII. comparavit illos equis ad prælium exeuntibus, qui exeundo quidem saltant et hinniunt gestiuntque, usque dum incurrant in ipsas hastas et gladios, ubi paulo post vulnerantur et corruunt: *Nullus est qui agat penitentiam,* inquit, *super peccata sua dicens: Quid feci? Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens in prælium.* Ita aves collidunt in aræa super escam, pisces super hamum, donec capiantur: ita bibens Holofernes cum Judith jucundus erat, interim vero gladium quo jugulandus erat, non advertibat. Dicite quæso: Si quis capillo suspensus teneretur super altissimo puteo, pleno draconibus et serpentibus, videretque supra se cultrum in manu tenentis, minantem abscissionem capilli; si is nihilominus gestiret, jubilaret, gauderet: quis eum non omnium infelicissimum et sanguineis lacrymis deplorandum diceret? Atqui hoc faciunt peccatores: ipsi enim Deo per tenuissimum vitæ fragillissimæ capillum tenen-

tur super infernum, minante desuper cultro divinæ justitiæ; nihilominus tamen adhuc lætantur, et ut S. Job ait, c. XXI. *Tenant tympanum et citharam et gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.*

V. Quia videbat gaudium illorum brevissimum, quo æternos sibi cruciatus emerent. Unde ait: *Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi.* Postea vero subjungit: *Quia venient dies in te.* Ecce gaudium illorum, vocat diem de qua etiam Jeremias, cap. XVII. dixit: *Diem hominis non desideravi, tu scis: punitionem vero secuturam, dies.* Sed numquid quadraginta fere anni adhuc superant usque ad excidium Jerosolymæ? Esto sane, dies tamen ac vix quidem dies unus erant, si cum secuta calamitate et supplicio æterno comparentur. Si enim, Davide teste, Ps. LXXXIX. *Mille anni* respectu æternitatis et ante oculos Dei *tamquam dies hesternæ quæ præterit, et custodia in nocte,* quæ trium tantum est horarum: quid erunt quadraginta anni? Vultis videre quam breve sit hoc spatium? Discite, nonne parvi nos æstimamus horam unam, aut alteram? Nonne diem integrum sæpe contemnimus et brevissimum spatium putamus esse? Et tamen, auctore Aristotele, apud Hypanim fluvium animalcula sunt, quæ unum tantum diem vivunt: mane nascuntur, hora tertia diei adolescent, sexta viri fiunt, hora nona canescunt, vespere moriuntur. Nonne igitur horum animalculorum ætatem unam, imo totam vitam parum esse aut nihil dicimus? Et tamen id ipsis multum est. Pari ratione, nihil est vita nostra, æternitati comparata, licet eam nos aliquid esse putemus. Igitur quod nobis sunt quadraginta anni, hoc illis est media dies, ut sic tota nostra vita vix unus dies sit. Ponamus igitur modo aliquem totam vitam suam ducere in bonis, gaudere et epulari; si postea mille annis esuriam et sitim tolerandam sibi sciret, nonne hic deplorandus esset? Solebant gentiles aliqui certum hominem per tempus aliquod alere lautissime et porci instar saginari: elapso vero anno vel simili tempore, coronatum eum cum tibia et tympanis ducere ad deorum templum, mactare et sacrificare. Quis non exhorrescat ad ejusmodi spectaculum? Quis non deploret ejusmodi infelicem hominem, qui sibi mortem emat tam brevi voluptate? Et heu! infiniti reperiuntur homines, qui id ipsum facitant, et dummodo hic modicum gaudere et frui voluptate sua possint, mortem æternam incurrere non dubitant.

VI. Quia hæc omnia super Jerusalem, dilectissimam olium civitatem ventura providebat. Plu-

res erant civitates Galilææ, quarum excidium futurum a Tito et Vespasiano præoverat Dominus, (quemadmodum recenset Josephus, lib. III. et IV. de bello Jud.) solam tamen deflet Jerosolymam; quia eam præ cæteris supra omnes nationes exaltaverat, et innumeris beneficiis affecerat, cupiebatque gloriam suam per illam maxime toti orbi patefacere. Poterant nec saltem ex Christi lacrymis colligere; si enim videntur eum lacrymari super mortem Lazari dicebant: *Ecce, quomodo amabat eum!* Joan. XI. cur non idem nunc colligunt de se, et dicunt: *Ecce quomodo amat nos!* Si enim non amaret, quomodo defleret? Nimirum uti brachium putridum, et infectum tandem abscindit aliquis non sine maximo doloris sensu, non tam corporis, quam animi, quia membrum conjunctissimum abjicere debet: ita doluit Christus excidium Jerosolymæ olim sibi conjunctissimæ. Voverat Jephthe judex Israel, et e prælio rediisset domum in pace primum quemque, qui sibi occurreret, se sacrificaturum, Jud. XI. occurritque ei unigenita filia cum tympanis et choris. Contristatus igitur vehementer scidit vestimenta sua: quod videlicet unice filiam suam immolare ex voto deberet. Filia hæc Jerosolymæ typus est, quæ Christo venienti in propria sua, prima occurrit, contrarium ætenens iter. Videns igitur Dominus eam ideò destruendam et exterminandam esse, merito sane contristatur et plorat. Si quis in loco amoenissimo plantasset vineam maximis impensis, circumdedisset eam sepe, ædificasset in ea turrim et torcular, sperans ibi ingentes fructus, et animi relaxationem sese habiturum: postmodum vero inveniret vineam prorsus sterilem et inutilem, ita ut aliud non superesset, quam ut seps dirueretur, turris et torcular destrueretur, vites absunderentur et concremarentur, quo doloris sensu id faceret? Atqui hanc vineam fuisse Jerosolymam, docet in parabola Christus, Matth. XXI. et Isaias V. Verum non Jerosolymam tantum, sed quemvis etiam Christianum hæc vinea designat. Plantavit eum Dominus, cum abluit in baptismo: sepem custodiæ angelicæ ei circumdedit: ædificavit sibi in eo turrim fidei et torcular meritorum Christi: vitem alligavit, cum in confirmatione Christianus sacro chrismate unxit: fodit, quoties per penitentiam et confessionem eum reparavit: impinguavit in susceptione s. eucharistiæ: et per hæc omnia amoenam sibi habitationem præparare conabatur. Nunc autem cum hæc omnia frustra, ideoque diruenda esse, vites quoque in ignem prociendas videt, quomodo non ploret?

Et si plorat Christus, quomodo non magis ipsi

peccatores? O si intelligerent, quot beneficia divina in ipsis pereant, quot divinae vocationes ab eis sprete sint, et quod jam securis ad radicem ponenda sit, arborque excindenda: non dubito, quin hac hora animum mutarent, et vel sero suam miseriam deploraturi essent; quod ipsis donet Deus.

## CONCIO V.

DIVINA VINDICTA IN EXCIDIO JEROSOLYMITANO  
OSTENDITUR.

I. Quia ut prædictum a Christo ita evenit. — II. Quia juxta delictum suum puniti. — III. Quia fideles Dei moniti prius inde profugerant. — IV. Quia frustra Judæi urbem restaurare conati. — V. Quia hanc eorum cladem Titus Dei vindictæ adscripsit. — VI. Quia hæc clades a multis accurate descripta.

## THEMA.

*Non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Luc. XIX.

Libro II. comment. Pii II. de rebus memorabilibus refertur, urbis Fulgine (in Umbria Italiæ) regulum olim e viro sancto quæsiisse, an regno suo posteritas aliquando privanda esset: illumque respondisse, privandam, cum boves circum mœnia civitatis volarent. Quod cum impossibile videretur, æternum sibi familiæque suæ imperium tyrannus promittebat. Verum nepotibus regnum tenentibus, Joannes Vitellensis Alexandrinus patriarcha eo cum copiis profectus, ubi obsidere urbem aggressus est, explicatis vexillis, in quibus insigne sive symbolum, par boum, qui vento flante et vexillo agitante volare, quodammodo videbantur, magnum oppidanis incussit metum, et refricavit memoriam, hos scilicet fore boves, juxta vaticinium, circa mœnia volituros. Simili quodam schemate præfiguravit Deus Judæis, urbis et reip. suæ excidium, IV. Reg. cum Elisæo propheta ascendente in Bethel, pueri parvi egressi de civitate illuderent ei, dicentes: *Ascende calve, ascende calve*; mox enim egressi de saltu duo ursi, laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros. Quæ figura quid Judæis præmonstravit, non difficile intelligere potuerunt, cum viderunt Titum et Vespasianum e Romanorum saltu excurrentes Jerosolymam obsidere, et in frusta lacerare. Nisi enim omnino stupidi fuissent, cogitare tunc debebant: Illi nimirum sunt duo illi ursi de saltu egredientes, ad nos lacerandos. Sed licet hoc forte non pauci agnoverint; illud tamen agnoscere usque in hodiernum nolunt: ideo scilicet in se immis-

sos hosce ursos, quia Christo illuserunt, dicentes: *Crucifige, crucifige*; seu (quod idem est): *Ascende calvariam*, quæ a calvitie nomen habet. Quare operæ pretium videtur ostendere, hanc cladem Judæis obtigisse ex vindicta divina, quia in Christum peccaverunt.

I. Ostenditur, quia ut prædictum a Christo, sic ad unguem evenit. Primo, dixit: *Circumdabunt te inimici tui vallo*, quod factum, cum Titus circum urbem quinque ædificavit propugnacula, quibus urbem inclusit. Quæ cum Judæi subvertissent, ædificavit triduo labore circumcirca murum cum tredecim arcibus, quo eos tam arcte inclusit, ut velut aves in aviario clausi, nullatenus effugere possent, juxta prædictionem Christi repetitam: *Et circumdabunt te*, id est, multo arctius seu omnino. Tertio: *Et coangustabunt te undique*, quod factum, cum fames, mortes, rapinæ seditiosorum, qui nunquam non domos præfringebant, perlustrabant, spoliabant, eos intus affligebant: ita ut fugere non liceret, manere intolerabile esset. Quarto: *Ad terram prosternent te*, quod factum, cum templum incensum, urbs vero diruta, et a fundamentis avulsa; ita ut postea præteriens quis nequiret cognoscere, an ibi habitassent aliquando homines, teste Josepho, l. VII. de bello, c. XVIII. solæ tres turres relictæ in monumentum: Phaselos, Hippicos et Mariannes, Joseph. ibid. Quinto: *Et non relinquent in te lapidem super lapidem*, hoc factum, quia nihil omnino prioris urbis indicij remansit, præsertim quando postmodum rursus ab Hadriano penitus subversa est, et in novam excitata formam. Quoniam igitur verissime evenerunt, quæ prædixit huic urbi Christus, sequitur etiam causam excidii similiter a Christo prædictam verissimam fuisse, quia videlicet: *Non cognoverit tempus visitationis suæ*, quæ a Filio Dei et Messia ad salutem quærebatur et quod vineæ cultores filium patrisfamilias ad se missum occiderint, Matth. XXI.

Accedit etiam prophetia Ezechielis, c. V. seu potius Dei præmonitio per illum facta, quando ei præcepit, ut raso sibi capillo in foro ponderaret; et in tres partes divideret: quarum unam igne combureret, alteram gladio dissecaret, tertiam in ventum spargeret. Significat enim hoc, partem Jerosolymæ igne absumendam, partem gladio necandam, partem in varias regiones quasi in ventum dispergendam. Quæ omnia evenerunt.

Denique, aliis etiam præsagiis paulo ante eandem præmonuit eosdem Jerosolymitanos, quemadmodum scribit Josephus, lib. VII. cap. XII. Cometes per annum stetit supra civitatem simi-

lis gladio: die azymorum circa templum nox in diem versa, et bos ad hostiam ductus in medio fani agnum peperit: templi porta ærea et gravissima, quæ vix a viginti viris clauderetur, nocte ultro aperta est: post dies festos, visi per inane ferri currus totis regionibus et armatæ acies tranantes nubila et civitati circumfusæ: festo pentecostes audita (angelorum haud dubie) vox: *Migremus hinc*: Jesus quidam plebeius ac rusticus homo per annos septem et menses quinque, in urbe circumcursans perpetuo clamabat: *Væ, væ Jerosolymis*; idque etiam cum a magistratu acriter cæderetur: qui usque ad diem, quo urbs obsideri cœpit, supra murum circumiens, cum tandem clamasset: *Væ etiam mihi*, lapis tormento missus eum peremit. Hic Jesus quoniam idem cum Christo nomen habuit, non obscure Judæos admonuit, se ideo puniendos, quia in Jesum deliquissent. Angelorum vox respondet voci Christi: *Ecce, relinquetur vobis domus vestra deserta*.

II. Quia sicut in Christum deliquerunt, ita et puniti sunt. Primo, in eo ipso monte Oliveti, ubi Dominus excidium Jerosolymæ prædixit et deploravit: ubi et postea passionem suam inchoavit, et a Judæis captus est; ibi inquam, Titus castra posuit, et initium obsidioni fecit; ut sic crudelem visitatorem inde accipere cogerentur, unde mitem et mansuetum sedentem super asinam acceptare noluerunt. Secundo, in diebus azymorum, seu feriis paschalibus Christum neci dederunt: quando ex variis nationibus ad festum plurima confluit turba in iisdem feriis simili populi confluxu (tunc enim, Josepho teste, in urbe erant tricenis centena millia hominum) celebratis, obsidio cœpta 14. aprilis scilicet, quamquam diutius duravit eorum passio; quinque mensibus scilicet usque ad 8. septembris, quo urbs capta. Tertio, Christum triginta argenteis venditum sibi a Juda emerunt: vicissim Vespasianus quo tempore bellum contra Judæam administravit, vendidit triginta millia Judæorum et quadringentos, Joseph. l. III. de bello, c. ult. Hegesippo referente, l. V. de excidio Jeros. c. XLVII. et l. c. XV. vulgus cum conjugibus et liberis parvo pretio vendebatur, nec desunt, qui affirmant ex nobilioribus decem, ex ignobilibus triginta pro uno denario venditos, juxta prædictionem Joannis Apoc. VI. *Bilibris tritici denario, et tres bilibres hordei denario*, ut exponit ibi Blas. Vegas. Rursum quia Christum ceperunt, capti sunt ad nonaginta septem millia, Joseph. l. VII. c. XVII. Quarto, exuerunt et spoliaverunt Christum vestibus et lancea latus ejus aperuerunt: vicissim durante obsidione, qui ad Romanos fuge-

rant, deprehensi quod aurum deglutissent, medio ventre scissi sunt, et una quidem nocte duo millia, ut auro devorato spoliarentur, licet apud paucos inveniretur, Joseph. l. VI. c. XV. Quarto, in crucem egerunt Christum, et clamaverunt: *Crucifige, crucifige*, similiter qui ex urbe egredi cogebantur, jubente et spectante Tito crucifigebantur, per diem quingenti sæpe et plures, ita ut spatium crucibus deesset, corporibus cruces, Joseph. ib. c. XII. Sexto, sitientem Dominum felle et aceto potarunt: ipsi vicissim fame extrema sunt afflicti, ita ut omnia loca et fossæ mœnium et domus et plateæ mortuorum inedia plena essent. Comedebant coria, cortices arborum, stercorea, cingula, calceos, boum veterem fimum, cloacas rimabantur: juvenes turgidi velut umbræ mortuorum per fora versabantur, id. l. VII. c. VII. et l. VI. c. XIV. Multi viso pane præ gaudio vitam finierunt, ut refert Hegesippus, Maria nobilis et dives femina filium infantem in frusta secasse, partemque ejus coctam jam comedisse reperta est, Hegesip. l. V. excidii, c. IV. Jos. l. VII. de bello, c. VIII. Denique, quia Christum occiderunt, et ipsi fame, ferro et igne occisi sunt, ad undecies centena millia, ut recenset Joseph. l. XVII. c. XVII. Addit S. Hieronymus in Sophon. c. I. scribens, Judæos quotannis convenisse eo die, quo diruta est Jerosolyma ad defendendum ejus funus, idque pretio impetrare debuisse: « Ut ruinam, inquit, suæ civitatis flere liceat, Judæi pretio redimunt, ut qui quondam emerant sanguinem Christi, emant lacrymas suas, et ne fletus quidem eis gratuitus sit. » Sic ille.

Ad hæc uti obsederunt Christum, ita sunt obsessi: circumdederunt Christum sicut apes, circumdederunt sicut vituli, obsederunt sicut tauri, secundum Psalm. ita eis evenit. Unde Dominus: *Circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te*. Quodque notandum, ea ex parte, qua erat mons Calvaria, obsederunt civitatem. Hinc enim pene erat ex adverso Psephinæ, ubi Judæi crucifixerunt Christum, ut notat Adricom. in descriptione Jerusalem, et alii, ut Judæi cognoscerent Titum advenisse ad hoc ut esset necis Christi ultor, ibique eos plecteret, ubi ipsi Christi parriidum, imo deicidium commiserant. Tandem vero Titus, ut celerius urbem occuparet, eam circumcirca cinxit muro, idque opus perfecit spatium tridui, itaque Judæos ad famem et extrema exegit.

III. Quia antequam clades hæc inciperet, Ecclesia fidelium, quæ erat Jerosolymis congregata, oraculi cujusdam monitu, quod probatoribus per revelationem traditum fuerat, ex Jero-